

A R I S T A
IAGELLONIA
Ex Manipulo Sacro, Poloniæ
ac Sueciæ REGVM de-
prompta.

Virtutum Nobilissimarum preciosis Vni-
onibus exornata.

Atque
Ad Granarium Æternitatis deportata

C I R C A I V S T A
Serenissimi CAROLI FERDINANDI
Poloniæ ac Sueciæ PRINCIPIS,
Mæroris publici leniendi ergo`

P E R

M. STANISLAVUM TEMBERSKI, in Academia
Crac: Philosophiae Regium Professorem, Collegam Maiorem,
Ecclesiæ Colleg. S. Annae Canonicum, Historiæ Petri-
cianum Scriptorem.

Non sine lachrymis, officiosissimè

P O R R E C T A.

Ad Funus Varsauiaæ celebratum.

Anno à Partu Virginis 1655. Die 5. Iulij.

J M P E N S I S N O V O D V O R S C I A N I S.

CRACOVIAE,
Ex Officina Viduæ Lucæ Kupisz S. R. M. Typogr.



Immortale genus volucrum! Mortale subisti
A Lachesi cæsum tollere Mortis onus!
Lechia tota doles. Doleas Europa, sub isto
Pondere contremuit Fama salusq; tua.
Frumentum quodcunque Tibi dabat ille Maniplus,
Hēi mihi quo Lachesis, falce fugauit atrox!
Post aliquot tandem Regno quæremus Aristas,
Si qua foret nostris inuenienda plagi.
Ni Pietas, ni sancta Fides, ni Candida Virtus
Traxissent celeri Principem in Astra gradu!
O Lachrymæ! ô gemitus! sed quid suspiria! Calum
Principe pro nostro, namque parauit opem.

Serenissimo ac Potentissimo Domino
IOANNI CASIMIRO
POLONIÆ ET SVECIÆ
R E G I.

Magno Duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazouiae, Samogitiæ, Liuoniæ, Smolensiæ, Seueriæ, Czerniechouiæ, &c &c.

Domino, Domino Clementissimo.



Ptandum profecto erat Sacra
Regia Maiestas, DOMINE DOMINE CLEMENTISSIME: ne lugubribus scriptis, aut tristibus vocibus, in Regia Maiestatis Vestræ certetur; quum suscepta nuper ad Comitia Regni defatigatio, leniores ac lætiores, ratiâ sanitatis restaurandæ, exposcat iu-
meritissimo occupationes. Ast diffici-
tempori non obsecundare, simulque
Pietatis derelinquere; quæ immatu-
occasus, Serenissimi CAROLI FERDI-
Rex, (c)

NANDI, Fratris Maiestatis Vestræ Desideratissimi, suasit vniuersis tractanda atq; exhibenda. Eapropter pro munere Parentali, censui Principis immortali memoria celeberrimi, de Maiestate Vesta atq; de Repub. Polona meritissimi, Virtutes Eximias in publicam mæroris scenam educendas, Orbiq; vniuerso publicandas. Defuit quidem dicendi ac scribendi apparatus; sed voluntas & officiosissimus affectus nunquam deerit: non in acerbis hisce, verùm in prosperioribus Maiestatis Vestræ negotijs ac factis glorioſis, etiam populis remotioribus, tradendis ac explicandis. In hac porro Orbitate Fratris Maiestatis Vestræ Desideratissimi, cælestem consolationem animitus comprehor: & omnem prosperitatem, cum diuturna incolumitate, plenis votis cupiens, humillimam defero Maiestati Vestræ, vñcum humili scripto, subiectionem.

Sacra Maiestatis Vestræ

Humillimus seruus

Stanislaus TEMBESI

re
le
ura
um
is C
i
ru



A R I S T A I A G E L L O N I A .

Si quando rebus in humanis pensitandis, animos vellem adesse spectatores, Proceres Mæstissimi; qui Regnorum ac Dominiorum vicissitudines, Regum ac Principum immatuos occassus, minimè perturbato mentis obtutu perlustrare queant. Fortunæ nouercantis vices, fronte serenâ, placido vultu, corde impaudo, pectore inconcuso excepturi: profecto tempore eo, vniuersos Herculeis nisibus cuperem iri accitos, quo Serenissimi CAROLI FER DINANDI Poloniæ & Sueciæ Principis, acerbâ atq; immaturâ lege mortis, à consortio omnium erepti, extremorum obsequiorum diem hunc contemplarentur. Accessit enim satis afflictis ac penè prostratis rebus, iam Russiæ, iam Magni Ducatus Lithuaniae non mediocre infortunium; dum Arista eximia Iagellonia, virtutum Sacrarum preciosis vunionibus repleta, dente Libitinæ arrosa cecidit; cineribus mortalitatis inuoluenda. O fallaces hominum spes! ô incerta vota! ô lubrica humanæ vitæ interualla! in ipso arridentis fortunæ limine ineuitabile telum spatiat, spesq; terrenas commiscet planetibus grauioribus. En Manipulus Poloniæ ac Sueciæ Regū, Lacheseos manu rapaci dissoluitur, & spectante orbe vniuerso Arista preciosæ euelluntur, franguntur; euulsæ ac fractæ terrestri vicissitudini relinquuntur; atq; atroci triturationi digitotum immanium proh dolor! exponuntur. En oculi omnium lachrymis madent, gemitibus plateæ circumsonant, dolore graui expressæ lamentationes yndique exaudiuntur; Regia ipsa, querulis vocibus Senatorum, Prælatorum, Equitum, Curialium, Epheborum, lugubriter admodum certat. En Serenissimus IOANNES CASIMIRVS Rex, (cuius in prosperis rebus spectata moderatio, præsens sem-

B

per

per animi magnitudo in aduersis adest) in tanto casu cohibere dolorem non potest: quasq; lachrymas grauitas & constantia retinere ac frenare consueuerat, eas fraternus innatus amore elicit euidenter. Fortissimorum ac prudentissimorum quippe virorum luculentissima sunt argumenta, constanter vtriusq; fortunæ impetus sustinere, rerumque acerbo fluxu minimè commoueri; ast immanis cuiusdam duritiae indicium esset, non ingemiscere, non torqueri, non proripi in mærorem, amissio amico, propinquo. Fratre carissimo, Principe optimo ac desideratissimo. Cessit fatis CAROLVS, in quo sic magnorum Principum dotes eliciuntur, ut non ab alijs exemplum caperet; sed etiamsi illi non fuissent, hic vnicus Princeps, cæteris fuisse etiam accutissimum exemplum. Non igitur temperandum esset à lachrymis, nisi prorumpentibus modus foret adhibendus, lugubris examinis calculo apposito; quantum & qualem Principem amiserimus. Ad hoc itaq; triste spectaculum, Serenissimi CAROLI FERDINANDI, Aristam virtutum Heroicarum preciosissimis vniōibus resplendentem, Mæstissimorum Procerum assensu, censui exhibendam; officiosè mēfacturum existimans, si Principis optimi, summa ac præcipua lineamenta vitæ compendiosè expressero, ad memoriam seræ posteritatis Cælo ipsi inscribenda.

Neminem vt opinor latere possunt, Natales Sacræ Memoriae CAROLI FERDINANDI; quum sit Magnorum Regum ac Imperatorum genuinus sanguis, magnæ seriei temporum æternum inscriptus. Diuorum enim Regum ac Principum VLADISLAI IAGELLONIS, CASIMIRI III. Abnepos. Sancti CASIMIRI Regni Poloniæ. atque Magni Ducatus Lithuaniae Tutelaris, tum IOANNIS ALBERTI, ALEXANDRI I. SIGISMUNDI I. Pronepos. SIGISMUNDI II. Nepos. SIGISMUNDI III. & CONSTANTIAE Austriacæ Filius. IOANNIS ALBERTI, ALEXANDRI Principum, VLADISLAO IV. & Serenissimi IOANNIS CASIMIRI Fratrum, extitit Frater carissimus atque amantissimus. Is indolem nactus Regalem, in celissimis Maiorum suorum exemplis immersus, studijs cultioribus intentus, ab ineunte pueritia, otium aliasq; impedientes generosam mentem occupationes, adeò detestatus est; vt Serenissimi Parentes sæpius mirarentur adolescentis negotia, quæ futurorum euentuum feliciorū initia clarissima exhibebant. Enītuit enim à teneris in eo Principe rārum virtutum Regalium vinculum: Innocentia, Modestia, Pietas, Temperantia, ad vitam laboriosam non otiosam perpetua inclinatio; quibus Humilitate

militatem fundamentum virtutum singulare adiunxit, omniumque usu præiuit ac præluxit vniuersis. Cum verò crescentibus ac proficientibus annis, spes indubia cresceret in corde Serenissimorum Parentum, Cultus Diuini non segnem propagatorem eum futurum; Ecclesiastico habitu indutum, in tuteam Diuorum Patronorum CAROLI & CASIMIRI, votis deuotissimis in Ecclesia S. Ioannis Varsaviæ sitæ exactis, omne auspicio tradiderunt. Tutores tantos ac Patronos nactus, post obitum Serenissimorum Parentum, quibus cum alijs Serenissimis Fratribus, Cracoviæ parentauit; vniuersas vitæ suæ rationes, Sacrae Diuorum Patronorum directioni totaliter submisit; ad penitorem Diuinorum exercitiorum scrutinationem, ab Inuictissimo ac Potentissimo Auunculo FERDINANDO I. Imperatore Romano, Vratislauensis Episcopatus administratione, prudentissimè inuitatus. Orbatum Regnum Poloniæ, Felicissimo Rege SIGISMUNDO III. addidit eidem Abbatiam Czeruensensem, Tyniecensem, post Episcopatum Plocensem, aliosque insignes Honores. Tandem in recompensam beneficiorum, Regali manu in grauibus Regni turbinibus comprehendis Reipub. contestatorum, cessit Serenissimo Principi Abbatia Claræ Tumbæ, Præpositura Miechouensis, aliaq; iure naturali deuoluta Ducatum Opoliæ & Ratiboriæ dominia: in quibus singulis Præfes constitutus, potestatis iura seruans, pretiosissimos virtutum vniōes, Aristæ Iagelloniæ inseuit vniuersis contemplantibus; ut vix aliquem licet reperi hominem, qui Optimi Principis vitam, censoriâ virgulâ & quissimo iure posset connotare. Viruit namq; ac floruit semper Iagellonici sanguinis speciosus Manipulus, Pictate Iagellonica; Prudentia Sigismundana, Magnanimitate Alexandrina; Innocentia Casimiriana; Temperantia & Liberalitate Constantiana. Clemenciam zeloque publicæ tranquillitatis propagandæ, à RODOLPHO, FERDINANDO, VLADISLAO, alijsq; virtutum incrementis quæsitis & acceptis. Quos virtutum veros ac genuinos fructus recensere, non absconum esset ad leniendum communem mærorem, ob fata acerba Serenissimi Principis; si inter eos foret enarrandum, qui viuum testimonium de vita Principis inculpabili, nequeant perhibere. Apertus etenim CAROLI Principis animus semper fuit; mens conscienti, aspectus prudens ac circumspectus; sermo parcus ac placidus; cor candidum; manus ad beneficia præstanda promptæ; vitæ integritas Sacra; Mores Regij; omnes actus virtuosæ tractationi insistentes, & ad libellam rectæ rationis accommodatissimæ. Vos vos in testimoniū

monium vocatos esse volo, Serenissimi CAROLI nuper vitâ functi, Ecclesiarum non postremos ad latus Principis hærentes die nocteque Prælatos; vos appello Regiarum occupationum quotidianos obseruatores! An non exemplar virtutū omnium, toto decursu ætatis, extitit Boni Principis vitæ inculpabile institutum? An non ex isto Manipulo commodè legere potuistis, mella odorifera actionum Heroicarum? Loquentur facta præclara; si præ dolore non potestis, Principis Pij, Innocentis, Iusti, Clementis, Modesti, Liberalis enarrare pretiosarum virtutum nitorem, ex ista Nobilissima Arista, Manipuli Sacri prodeuntem; iam chœu ab oculis vestris sublatā, vltra omnium opinionem.

Præluxit namque Princeps CAROLVS singulari Pietate in Deum, Matremq; Deiparam, crebris exemplis publicè expressâ; iam in orationibus fundendis, precibusque deuotissimis exoluendis absque distractione animi, absque tædio boni negotij culpam requirente. Vidistis ardentissimū studium, quod semper habuit, in venerandis Regni Poloniæ aliorumque Dominiorum Diuis Tutelaribus; quibus intaminatæ vitæ rationes, omnifariam cupiebat esse perspectas, illibato feruens amore, omnia iura Sacra competenter exequendi. Vidistis effusæ charitatis in patriam, proximos, documenta clarissima; quorum conseruationi succurrentum putauit iam ære, iam argento, iam præsidijs militaribus, iam alimoniae procuratione, in præcedentium temporum deploranda calamitate. Non permisit ille iniuriâ, vi, armis, impetu maleuoli animi, affligi aut opprimi quenquam; quandoquidem subditos ipsos ut Pater filios, indulgenter admodum ab omni oppressione pluries immò semper defensauit, & in tranquillo negotiorum cursu collocavit. Magnam pietatis partem assertam esse vult, Abbatiarum prudens administratio; dum sanctimoniae exemplo, viris Religiosis præeundum ita putauit, cum vniuersa Curiâ sua; ut nihil esset, quod aut Religiosam offenderet integritatem, aut secularem persuaderet importunitatem. In Abbatiam namque Czeruiensem, debiti Cultus Diuini promouendi, Sanctarumq; occupationum fouendarum gratia, Theologicum studium introduxerat; cui præfectum esse voluit Reuerendum Hiacynthum Liberium Ordinis Canonicorum Regularium, non postremum Theologum: eâ nimirum piâ intentione, vt ingenia Deo dicata, Diuinarum & Humanarum legum fructuosam interpretationem ediscerent. Idem in Tineensi Abbatia, atque Claræ Tumbæ, tum in Miechouiensi Conuentu, tractandum esse

esse non neglexit Princeps Prudentissimus; ne viri Sacrarum Familiarum albo inscripti, tetro in otio delitescerent, occasio nemque emergendi à contemplatione Sacra, ad mundana negotia caperent, per quam inimicam Religiosæ vitæ. Præiuit ille Integritate & sanctimoniam, fermè claustralî vniuersis; præiuit admiranda & perseveranti deuotione, cui etiam ad Matutina, aliaq; Officia pia, non erat graue mediâ nocte descendere, somnumque sèpius rumpere. Exempli boni votis excitato. Amisistis iam Patrem ô Clara Religionum Sacrarum pignora! quem ab oculis vestris sublatum, iustis lachrymis prosequimini. Amisistis Custodem virtutum claustralium vigilanssimū; quinimò redditum defensorem acerrimum; dum frequenter pertinaces ac rapaces paupertatis vestræ inuasores, à parietibus & fundis Religiosis, amotos & abactos, estis contemplati.

Coniunctam Pietatis & Prudentiæ, Iustitiæ & Clementiæ expressionem deferent ac tradent posteritati seræ, Episcopatus Vratislauiensis & Plocensis; ipsique Ducatus Regno Poloniæ contigui, Opoliæ ac Ratiboriæ: magno ære acquisiti per Serenissimum VLADISLAVM IV. iure successionis ad regimen Principis CAROLI deuoluti. In quorum singulis, Princeps Prudentissimus, vigilantis Pastoris munia obiuit, summo Pastori, ex regimine terrestri, rationem strictam redditurus. Eapropter in Vratislauensi Episcopatu, singulariter constitutam videre voluit Ordinis Ecclesiastici auitam auctoritatem; ad quam iam abolitos Religionis Catholicæ ritus veteres Romanos reuocandos censuit, sapienti Synodo declaratâ; cuius Sacratissimis Decretis, & profanatæ Ecclesiæ, reconciliationi Sacræ subiectæ sunt, & piorum parietum restitutus honor; prauæ opinions sublatæ; mores vocationi Christianæ inimici correcti; dogmata infernalia abiecta; ad quæ amplius nec intimanda, nec reuocanda qualicunq; colore ac prætextu, seueris legibus cautum & animaduersum est: ne Ordo Ecclesiasticus antiqua ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis perderet perenniter. Beatum profectò regimen, sancta sollicitudo Serenissimi Principis eluxit; dum sine ullâ status Politicæ sion, sine ostentatione potestatis, sine rigorosa confusione personarum, summa prudentiâ omnes vires suas, ad dissolutum Clerum Silesicis in partibus iurisdictioni suæ adscriptum, contulit corrigendum; ad proferendos Christianæ Pietatis fructus uberrimos destinatum. Ut verò Hæresum seminatores ac lactatores, ex fundis Vinea Romanæ felicius amoueret; assumpsit Magnanimitatem Heroicæ menti conformem, ex Sacra Domo Austriacâ vna cum Mater-

Materno lacte depromptam; qua Princeps Serenissimus obar-
matus, vniuersos cupiditatibus suis falsum Religionis nomen,
inter rudiorem plebecculam, ac durioris ceruicis & ingenij po-
pulos prætexentes, eliminari intra semestre præcepit, & limina
Ecclesiarum Catholicarum mala fide possessa, seuerè indixit re-
linquenda; Iustitiâ reddere Christianis, quod sacrum erat insti-
gante, tum patrocinante. Habent equidem spatioas vias quæ-
rendi sibi angulos remotiores, viperæ istæ infernales; quas igni
perpetuo destinandas, Leges Diuinæ minimè inhibitent. Ini-
quum me hercule est, partibus in illis, vbi primùm affulsit lu-
men verum Fidei, bestias venenosas in sinu ac gremio Ecclesiæ
Romanæ, glomeratim gliscere, ipsasq; quiete profunda effun-
dendorum venenorū, in consortio bonorum gaudere; quum
nihil inde utilitatis, etiam Ciuitia commoda respicientis proue-
niat: immò verò damna, ignominia, dissensiones, hostilitates,
perpetuo vigint inibi, vbi isti feri admodum apri, Vineā Chri-
sti euertentes, delitescunt. Suadet idipsum, etiam omnium lin-
guistacentibus, Regnum ac Dominiorum Gubernatrix fe-
licissima Iustitia: à qua in omne humanum genus leges & iura
promanarunt; vt factorum bonorum operatoribus, honores
ac præmia; factorum omnium ministris, ignominia, suppicia
decernantur. Operæ pretium enim est, studia bonorum pro-
moueri, malorum improbitatem ac peruersitatem cōéceri; eā
executione adhibita, Domus, Ciuitates, humanæ societates,
ipsa deniq; rerum vniuersitas, stabit immota, perennitatis glo-
ria exornata. Ista virtute Serenissimus Princeps cælum ipsum
expugnauit, dum infelix Iolium, ex agris Fidelium expurgauit:
sciens absque Iustitia, ne Jouem quidem ipsum, Principem a-
gere posse. Taceo Liberalitatem, quam Princeps Serenissimus,
non magis causâ iactantiæ, quàm misericordiæ necessitate, ex
Manipulo Regio assumpserat, vt Virtutem non solis homini-
bus opulentioribus, sed maximè Regio sanguine claris accom-
modam ac necessariam. Hac excitatus, ad omnes calamitates
Regni Poloniae, inopiam Ecclesiarum, Claustrorum, subdito-
rum, ita erat attentissimus; vt neminem à vultu suo abire tri-
stem ac mæstum pateretur. Postquam enim bellum multi-
plex, iam à rebellibus Kołacis, iam à coniuratis eisdem Tartaris,
fines Russicos depopulantibus indictum est; prouidendum
censuit absque morâ, quæ semper nocua est, defensioni partiū
illarum, Milite stipendijs proprijs collecto; ne Dominia Ca-
tholica, astu Schismatico, barbarie Gentilium, ab Aquila Po-
lonia auellerentur. Non defuere præsidia iussu Principis Sere-
nissimi

nissimi educta, ad Campos Pilauecenses, Zborouenses, Bereste-
censes, Zuanecenses, directa propugnando: quæ Exercitus
Poloni Duces, Potoccius, Kalinouius, Lanckoronius, ob strenuam impensam operâ, in facie Reipublicæ, ad publica Regni
Comitia, plures commendarunt: Jeremia Duce Wisniouecio,
merita Militum bellicosorum, in acie fortiter dimicantium, re-
censente ac promouente. Cùm autem pestifera lues, partes va-
rias Regni, (iustas pænas Diuinâ voluntate accumulante citra
ambiguitatem, ob scelera multiplicita) Oppida, Vrbes in-
uasit, innumerisque cadaueribus, campos, sylvas, ædes imple-
uit; fecit quod Principem decebat & clementem, & liberalem,
& misericordem: miseris hominibus languentibus, subue-
niendum victu, alijsque remedijs vitam à peste præseruantibus,
decreuit; ne fame, inopiâ, passim caderent enecati. Relique-
rat monita salubria ac paterna Tenutarijs suis, ne homines per
agros vagantes exanimari permetterent, aut per negligentiam,
aut per tenacitatem, aut per scrupulosam infectionis vitandæ
diligentiam, corporibus peste affectis maximè damnosam.
Velle hic pro testimonio, Subditorum cateruam esse voca-
tam; in quorum fundis, & militem grassari non permittebat; &
inopiat ipsorum arcendæ liberaliter prouidebat. Velle productos Religiosorum Ordines; qui largâ manu Principis sub-
leuati, ad Diuina Officia tractanda promptiore certabant ob-
sequio. Voluntate enim bona Serenissimi CAROLI, non tan-
tum arca cordis plena erat, sed nusquam vacuæ manus à mu-
nere. Non possum tacitus præterire Michaelem, Magnæ Me-
moriæ Illustrissimi Ducis in Wisniowiec Jeremiæ, Filium; quæ
Princeps Serenissimus, post immaturam mortem Parentis bellis-
cosissimi, Curiæ suæ inscriptum, educationi Heroicæ destina-
uerat, impensis proprijs ætatem eius iuuenilem fouens ac sub-
leuans liberaliter. Eum etiam post fata sua, iudicauit minimè
derelinquendum, propter innatam Adolescentis ad res bellicas
promptitudinem. Neq; silentio inuoluam, Academiam Cra-
couensem, cui summum beneficium impendisse videtur, dum
& Iure sanguinis Jagelloniæ, & Iure Conseruatorio, Abbatibus
Claræ Tumbæ à Summis Pontificibus Romanis inscripto, vo-
luit esse protectam, tam apud Serenissimum Regem, Fratrem
Carissimum; quàm apud Felicis Recordationis IN N O C E N-
T I V M X. Memor erit Protectionis, Jagellonica vnica Regni
Schola; & Carolianas virtutes Annalibus suis, in tesseram grati-
tudinis reponet. Viruisses vtinam ô Arista Jagellonia! vt ad
Vmbram Manipuli Regij, pacatæ Musæ quiescent, nomenq;

Tuum indesinenter celebrarent. Vnico tantum gaudent iam Protectore, Stirpis Iagellonicæ Hærede, Serenissimo IOANNE CASIMIRO Rege Poloniæ: cui Deus Opt. Max. cum diuturnitate sanitatis præsens assistat, atque dexteram aduersus Hostes coniuratos obarmet; desideratam rebus Polonis, tum Magno Ducatu Lithuaniæ tribuens pacem, & à bellis continuis exoptatum respirium.

Verum enim uero ad Aristæ Iagelloniæ pretiosos Uniones colligendos, reuocanda mens est Proceres Mæstissimi: inter quos, Temperantia Principis CAROLI, silentio minimè inuolui debet; quam didicerat ex quotidianis exemplis, diuturnioris vitæ, firmiorisq; sanitatis esse retinaculum, diuitiarum Custodem, Honestatis Magistrum, Nominis boni Sociam. Isti virtuti copulatam esse voluit Innocentiam, arctamque Modestiam; ad quarum societatem, totam suam Aulam prudentissimè ordinabat, ne vitijs scatere, aut flagitioso modo viuendi effervesce, quispiam ad latus Principis & præsumeret & assueficeret. Attamen tantarum Virtutum vinculum, non permisit maturioris vitæ fructibus, vti Serenissimum Principem; quin imò eum ad sedes suas, magno cum detimento Regni Poloniæ violenter pertraxerunt, diuturno morbo sanitatem opprimente. Grauis enim & omnem fallens Medicorum industriam inuasit morbus, ineluctabili fatorum violentia firmiter radicatus; vires Principis, immortalitate donandi suffocans, usum partium in corpore humano nobilissimarum adiimens; caput, pectus, manus, pedes infestans; nunc soporiferus, nunc somno hostis apertissimus; lentissimam febrim retinens, sensimque totum Corpus Principis atterens ac labefactans; minitañs ad extreñum Principi Optimo, ineuitabilis fati necessitatem. Ast Princeps prudentissimus rerum humanarum æstimator, & quissimo animo Diuinæ voluntatis decretum perpendens, ante omnia Veneranda Sacra menta, quorum usum habuit frequentissimum, adhiberi sibi flagitat; & magna cum animi submissione, doloris expressione, vitæ totius in manus Domini resignatione, Sacræ Synaxeos atque Extremæ Vnctio- nis exhibitionem, deuotissimè expostulauit; protestatus se à Legibus moriendi minimè esse exemptum. Iamque Tremendo Sacramento refectus; pro delictis suis, à quibus libera Conscientiam toto curriculo dierum fieri satagebat, vberes lachrymas elicuit; & absque molestia, instantis termini tempus irreuocabile præstolatus, Crysæ ætatis Annorum quadraginta duorum urgente, ob afflictam valetudinem suam Prælatos con-

sterna-

sternatos, atque Aulæ Officiales Primarios, placido aspectu intuens, amicis verbis interpellauit: Ne ploratibus suis adderent decumbenti afflictionem, tum necessariæ recollectionis impedirent terminum. Contestatus tamen, ob id tantum sibi videti molestam mortem; quod Fratrem suum Desideratissimū, Serenissimum Regem moriens complecti non posset; cætero qui gaudere se, quod ultimæ voluntatis esset habiturus Executotem: cuius singulari ex tot iam documentis comprobatae sibi virtuti, non dubitauit futurum, vt Regni Poloniæ à Coniuratis hostibus obseSSI termini, feliciter pristinæ gloriæ restituerentur. Post collabente & concidente sermone, ultimum Valete expressit, inquiens: Iam ad Deum properandum est: quem ut placabilem Iudicem experiar, vestris me omnium adiuuari precibus postulo, cum non desit substantia amplissima possesso. Hæc fatus, deficiente iam & moribunda voce, IESV Christi nomen inuocans; Virginis Sanctissimæ apud Filium patrocinium implorans; Diuorum CAROLI, CASIMIRI interpellationem ad Virginem Beatissimam expetens; ad Sanctorum Regni Tutelarium societatem euolauit. Occasus tam Boni ac Pij Principis, vbi percrebuit primùm Vyscouix, post Varsauia, atque in Plocensis Episcopatus latifundijs; qui tum planctus omnium Curialium, quæ amaritudo Prælatorum, quæ lamentationes fidelium subditorum; quis mæror vniuersorum ad latus Principis hærentium fuerit! laboriosum foret enarrare. Pars capita, vultus, genas premebant; pars pectus, humeros, crebris iectibus pulsabant; pars manus ac digitos fracturæ consimiles protendebant; pars parietibus, sedilibus quasi allisi, mæstissimo animo adhærebant; recentem Principis è viuis excessum meditantes. Talia ac tam stupenda exerceri! iustus dolor extorsit. Quæ cum ita se habeant, Serenissimus CAROLVS Poloniæ ac Sueciæ Princeps, decurso vitæ mortalis curiculo, Immortalitatem certissimam induturus, ad Horreum æternitatis cum Manipulo suo, die nonâ Maij destinatus est, Virtutum Celsissimarum præmia reportatus. Vigebunt Optimi Principis Virtutes nobilissimæ; nullis temporum consequentium nubibus obscurabuntur, nulla obliuionis lima obliterabuntur; nulla fatali rerum humanarum periodo claudentur, nullis inuidiæ stimulis exterminabuntur, sed splendentes in Beatissima Immensissimæ Maiestatis Luce, perenniter conscriptæ manebunt, in Libro ac Annalibus Viuentium. Iam igitur dolorem vestrum moderamini, amissio Principe: Innocentia, Modestia, Temperantia raro archetypo; Liberalitatis fon-

D

te;

te; Iustitiae atque Clementiae assertore; Magnanimitatis, Prudentiae, Pietatis vero possesso; Abbatiarum, Episcopatuū Patre; Iurium ac Libertatis Ecclesiasticæ propugnatore; Vniuersitatis Cracoviensis Conseruator; Reipublicæ Polonæ singulari præsidio. Cuius Manes Pios, prosequimini eo ut par est affectu glorioſarum Virtutum vestigia clarissima imitati; quibus Altissimo Cæli & Terræ Moderatori, totâ vitâ suâ, erat commendaturus. Tu DEVS Opt. Maxime Regum, Principum author omnium; CAROLO Principi defuncto, noxas clementer remittit; Animamque Ordini Mentium Beatarum include; atque Aristam ad Granarium cælestis fruitionis reuocatam, clementer colloca in statu perennis tranquillitatis.

DIXI.



Dugo Philonius in Tiliiano.

Nota sunt mortis præludia: quæ ad respiciendas hominum cæca, ad audiendas preces surda, ad omnes mortales, citra vlli exceptionem, perimendos immisericors, atrox, effrons, insana, neque bonorum, neque malorum habens rationem aliquam: immò bonos non raro, & virtute præditos prius accipiens, quam sceleratos & malos. Præterea quamuis accidere nequeat sine summo cruciatu mors, id est, corporis & animi separatio: tamen ipsa ratio dictat, iuniores difficilius oppetere, quam natu grandiores: quandoquidem illi sicut Aristæ velluntur ex vita Manipulo, hinc tanquam sole cocti atque iam radicitus euulsi sponte sua decidunt.

Duo Plioribus in Tiliis

Mors ipsius mortis presulibus; nos scholasticis post
hunc excedit sedie et pectus hinc saeconis mor-
tale, cum aliis excoequos, bellumq[ue] iuris
lucis, sive electionis iuris, nonne potest, unde
missionem p[ro]p[ter]as latitudinem aliquid: immo potes-
tum est q[ue]d virtutis p[ro]p[ter]as d[icit]ur accidens, dum
accidentes & maiori. Ita ut q[ui]cunq[ue] accidentia ne-
datur tunc tuncum nichil in eis corporis &
suum p[ro]p[ter]as: namq[ue] tunc dicitur innotescit
h[ab]entis objectice auctoritate distinctiores: duobus
quem illi nec A[et]eris aelluntur ex aucta M[od]estia, in
caudam foliaceam; atque in laqueis chunig[ue] posse
tis occidere.